

8 Epyt.

Ingenii legumque potens Constantius atra
 mortis sorte iacens conditur his tumulis.
 Hinc gemat hunc probitas, tristis suspiret honestas
 et comitis funus plangat amica fides.
 5 Quis per bella fori totiens de iure triumphum
 retulit et saevos perculit ore reos?
 Ornavit proprio semper fulgore togatus
 eloquio mores, moribus eloquium.
 Non multum, mors dira, nocet in funere iusti:
 10 nil tua tela gravant: possidet astra pius.

Cod. f. 43 (inde Grut. 1167, 5).

10 Epyt.

Sacra Diogeniae clauduntur membra sepulchro,
 quae viduata viro vixit amica deo.
 Hanc post lustra decem recipis, dulcissime coniux;
 depositam Christus quam tibi reddit, habes.
 5 Laeta suis lacrimis, ieiuno corpore pasta,
 prodiga pauperibus (nam sibi parca nimis),
 nec satis ista putans eadem post fata reliquit:
 vinceret ut mortem, perpetuavit opus.

Cod. f. 43' (inde Grut. 1167, 7).
 3 decim, dulcissimae cod.

II. SYLLOGE ANTIQUA VISA ALCIATO ET FONTANAE. — Alterum litteris renescentibus vetustiore codicem habentem epigrammata Mediolani ex marmoribus excepta Alciatus nactus videtur esse. Scilicet in adnotatione libri Dresdensis ea, quam supra p. 617 ad n. 3 rettulimus, ait sequentia epigrammata referre se 'ex antiquissimo codice'. Quae indicatio quo perveniat videndum est; nam primo, ut dictum est, de tredecim sequentibus scripsit, deinde ex tredecim fecit viginti. At cum ex viginti sequentibus sola tredecim primo loco posita primum compareant in Alciati libro Dresdensi, contra septem postrema (n. 6250. p. 623 n. 16 n. 6240. 6253. 6266. p. 623 n. 17. n. 6202) adsint item in Alciati exemplis ante factis, sequitur ut tredecim tantum quae leguntur continua f. 146—158 ex antiquissimo quem dicit codice Alciatus exceperit. — Sed non omnia, quae in antiquo libro invenit, carmina antiquiora Alciatus in librum Dresdensem rettulit. Nam primum Caesar Baronius a. 1589 ex scripto commentario Andreae Alciati de rebus patriis ab herede eius cardinali Francisco sibi suppeditato carmen n. 15 edidit, quod cum absit a libro Dresdensi, evidenter ex eodem corpore desumptum est. Deinde Carolus Basilicapetri a. 1628 epigramma n. 14 omnino reliquis simile attulit ex Alciato neque in sylloge eius inscriptionum inventum neque alibi quod sciam ab eo relatum. Apparet igitur et Caesari Baronio et Carolo Basilicapetri copiam fuisse schedarum nescio quarum Alciatarum, ubi carmina ea de quibus agimus plenius perscripta fuerint quam leguntur in Dresdensi. Nos et Dresdensia illa tredecim hic proposuimus et duo epigrammata a Baronio et Basilicapetri subministrata addidimus, quamquam pleraque huius operis fines excedunt, additis item adnotationibus ab Alciato adscriptis, ut quorum interest de aetate et fide huius syllogae certum iudicium ferre possint.

Sed eam de qua agimus syllogen non solus Alciatus vidit. Similem librum versavit item aequalis eius Fontana is cuius sunt collectanea de archiepiscopis Mediolanensibus alphabetico ordine disposita a Barnaba inde usque ad Ioannem Arciboldum († 1555), servata in codice Ambrosiano V 35 sup. ex parte autographo, ex parte a librariis parum accuratis exarato. Eo libro usi sunt Carolus Basilicapetri (v. p. 623 ad n. 14) quondam dominus eius, cuius testimonio constat de auctore (nam sua manu is libro nomen non inscripsit), Puricellius (v. p. 617 ad n. 3 et p. 622 ad n. 13), Biraghius (v. p. 620 ad n. 7), excussit autem nuper diligentissime a me rogatus Rud. Schoellius meus. Praeter subsidia quaedam edita Fontana adhibuit cum Alciati syllogen scriptam ea forma, quam

9 Epyt.

Hic positis membris purus perrexit ad aethram
 omnibus heu flendus civibus et patriae,
 quem generosa domus longo sibi credidit aevo
 mansurum columen, tristia non metuens.
 5 More suo ludens homines fors perdita semper
 monstratas rapuit spes properante die.
 Vix vitam quinque lustris compleverat aevum,
 cum suprema dies intulit exitium.
 Quattuor hic annis vixit cum coniuge sancta,
 10 mox ratus est melius vivere, Christe, tibi.
 Utilior cunctis sententia nata secunda:
 nam Christus vitam dat sine fine suis.

Cod. f. 43 (inde Grut. 1167, 6).
 2 patrie cod. — 7 vitae malim.

servat codex Dresdensis, ut additamentorum Alciatarum ei soli fere ex Italis auctoribus copia fuerit, tum codicem quendam, quem alio loco dicit 'antiquam membranam auctoris, qui descripsit vitas pontificum et 'proemium [praesulum?] et eam epistolam de Mediolanensibus, quae sub 'nomine D. Ambrosii cum eius epistolis circumfertur' (sic ad n. 9); alibi 'veterem membranam illius auctoris, cuius epistola de Mediolanensibus inter 'Ambrosiana opera edita' (sic ad n. 10); alibi 'vetustum librum Wolfgangi Lazii Viennensis Caesarei historici in (?) sepulchris Mediolanensibus' (sic ad n. 5); alibi 'volumen Saxonium a se visum in Germania' (sic ad n. 14). Eundem librum ubivis intellegi apparet et ipse Fontana ad n. 10 postquam eum citavit ita pergit: 'quod dictum volo de omnibus carminibus' similiterque alibi loquitur. Ex eo libro quae refert Fontana epigrammata decem, sunt ipsa Alciatina n. 2. 3. 4. 5. 6. 8. 9. 10. 12. 14, ut quinque tantum n. 1. 7. 11. 13. 15 aut a libro Vindobonensi afuerint aut certe a Fontana inde non afferantur. Nos Alciatinis Fontaniana apposimus, cum utraque recensio ita differret, ut aliter diversitas satis explanari nequiret.

De ipsa hac sylloge carminum christianorum Mediolaniensium indicent talium litterarum periti, quibus me non adnumerari probe scio. Quaestio propter summam utriusque recensionis diversitatem admodum perplexa etiam magis eo complicatur, quod inter Ennodii epigrammata in laudem duodecim episcoporum Mediolaniensium ab Ambrosio ad Theodorum (carm. 1. 2 ep. 77—89) quinque ex his redeunt (n. 3. 4. 5. 6. 8), sed forma admodum diversa et ut modo Alciatina, modo Fontaniana recensio propius absit ab Ennodiana edita, quae sane praestat utrique. At auctorem syllogae huius ea carmina ex codice Ennodii sumpsisse non crediderim; immo composuit syllogen ad ipsos lapides per ecclesias Mediolanienses prostantes. — Praeterea videant ii, ad quos ea res pertinet, annon simili libro usus sit etiam Landulfus (v. p. 617 ad n. 3), denique cur Alciatus in his (p. 619 ad n. 4) citet 'chronographos nostros'.

Subieci denique epigramma n. 16, quoniam hoc quoque propter ea quae adscriptimus probabile est medii aevi codicibus servatum esse. Epigramma n. 17 Alciatus syllogae inscriptionum Mediolaniensium aetatis Romanae inseruit, cum sit medii aevi; similia sescenta cum alibi tacite eiecerim, hoc retinui, quoniam ad Alciatinam inscriptionum syllogen recte aestimandam facit, ut quidquid in ea contineatur, ab hoc corpore ne absit.